



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio LXII. Argumentum. Docetur qui, & qualis sit contractus dictus Moathra, seu Stocco. Ostenduntur quatuor modi illum committendi: Qui omnes damnati fuerunt ab Innocentio XI. Ideò cautè legendi ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

Notorietate juris manifestus Usurarius dicitur, qui in iudicio est confessus, vel condemnatus. Covarr. lib. 3. Var. cap. 3. num. 4. Clarus ubi supra num. 5. & Menoch. num. 12. Quod si convictus sit, sed non confessus, alii asserunt, & alii negant, censendum esse manifestum, ut notat Salas. d. dub. 46. num. 4. Cardin. de Lugo d. disput. 25. num. 239. & Thesaur. de Penis Eccles. part. 2. Verb. Usurarii cap. 7. Vers. Item manifestus dicitur; ubi subdit talem nunquam posse pronunciar, nisi certò constet de usura, ita ut nulla ratione, vel consuetudine publica possit excusari; quamvis non requiri usuram formalem, sed sufficere virtuale, qualis est, si supra justum pretium vendat propter dilatam pretii solutionem, ex pluribus DD. citatis doceat Cardin. de Lugo ubi ante num. 238.

6. E contra: Quis dicatur Usurarius occultus? respondendum est, illum censendum esse occultum, in quo relevari non potest notorietas facti, vel juris, ut latius demonstrant DD. supra allegati; & dictum fuit ex doctrina nostri Clerici in Decis. XXX. quod benè declarat etiam Laurentius Prior in sua Praxi Criminali Veneta in tit. de Usura pag. 187. & seqq.

4. Quod si petamus, Qua differentia inter Usurarium manifestum, & Usurarium occultum? respondendum venit, hanc esse differentiam; quod Usurarius manifestus afficiatur omnibus illis duodecim pœnis, quæ relatæ fuerunt in præcitata Decis. XXX. & præcipuè passiva participatione Sacramentorum & Ecclesiastica sepultura; nisi restituerit usuras, vel idoneam cautionem dederit de restituendo, vel pignoratitiam, vel fidejussoriam, vel juratoriam juxta text. in cap. Quia in omnibus, de Usur. & cap. Quamquam eod. tit. in 6. & Thesaur. de penis Eccles. dict. part. 2. Verb. Usurarii. pœnæ; cap. 1. Contra occultum verò sceleratorem non sunt inflicte pœnæ à Jure, propterea, quotiescunque eum pœnitebit usurarum, & restitutionem fecit, ad Sacramenta, & Ecclesiasticam sepulturam erit admittendus S. Th. 2. 2. quæst. 78. art. 3. P. Mastrius in Theol. Moral. dict. disp. 5. num. 93. & alii DD. allegati in supracit. Decis. XXX. n. 1.

DECISIO LXII.

ARGUMENTUM.

Docetur, qui & qualis sit contractus dictus Mohatra, seu Stocco. Ostenduntur quatuor modi illum committendi: Qui omnes damnati fuerunt ab Innocentio XI. Idèò cautè legendi Cardenas, & F. Cassianus à S. Elia circa hunc contractum.

SUMMARIUM.

1. Mohatra contractus, seu Stocco quid sit?
 2. Quot modis contrahatur Mohatra?
 3. Pannum summo pretio vendere, cum pacto, ut sibi statim revendatur pretio infimo, est Usurarium.
 4. Etiam si non fiat pactum de sibi revendendo, sed sit intentio.
 5. Mohatra etiam fiebat per interpositam personam.
 6. Fit absque ullo pacto, aut intentione dato panno pro pecunia.
 7. Mohatra seu Stocco contractus damnatus ab Innocentio XI.
 8. F. Cassianus à S. Elia, & Cardenas cautè legendi circa contractum Mohatram, seu Stocchum.
- Paulus indigens pecunia petit ducatos centum mutuo à Mercatore, qui pro tanta summa ei dat tot ulnas panni ad vendendum. Paulus non reperiens emptores, pannum vendit eidem Mercatori pretio Ducatorum

octoginta. Queritur, quis contractus sit iste? Et an licitus?

Contractum hunc esse illum, qui Hispanicè vocatur Mohatra; Italicè Stocco; Gallicè Vente, & rovente, aliisque vocabulis in diversis regionibus, Porro, seu Pillizza, vel Barrato, omnes de Clero nostro scribere; allegantes Bonacina dict. tom. 2. de contractibus disput. 3. quæst. 2. punct. 3. num. 20. Rebell. de obl. justit. lib. 9. quæst. 6. num. 7. Salas de Empt. & Vendit. dub. 37. & de Usuris dub. 16. num. 2. Tamburin. in Decal. lib. 8. tract. 3. §. 8. num. 9. Cardin. de Lugo de justit. & Jur. disput. 26. num. 204. Leotardum de Usur. quæst. 24. num. 25. Diam nam part. 1. tract. 8. resolut. 20. & 58. Quæ in Coordinato est tom. 6. tract. 3. resolut. 63. & 64. & Cotonium in Summa Diana Verb. Contractus. num. 3. P. Cafalichium in Tutæ Conscientia lib. 2. cap. 3. num. 4. & F. Cassianus à S. Elia in Theol. Moral. Expurg. Verb. Contractus. 1. cap. 1. & 2.

Pro resolutione autem Casus, an Contractus iste sit licitus? notantur, quatuor modis Mohatram, seu Stocco fieri posse.

Primo modo; quando indigens pecunia, & eam mutuo petens à mercatore, ille se offert dare credito pannum, aut merces, pretio quidem justo, sed summo; si tamen ipse indigens spondeat, & paciscatur, eandem mercem revendere statim eidem mercatori numerata pecunia, aut pretio infimo, etsi justo, & in hoc casu, contractum esse illicitum, & usurarium ferè omnes Theologi autumant; tum quia est mutuum palliatum, ac idem, quod mutuare octoginta, & exigere centum; tum etiam quia imponitur onus pretio æstimabile, eidem indigenti, illum obligando ad revendendum prædicto mercatori, ita ut ad alium emptorem accedere non valeat. Cardin. Tolet. lib. 5. cap. 31. num. 3. Angelus Verb. Usura 1. num. 60. ubi dicit, hunc esse contractum pessimum. Sylvest. Usura 2. quæst. 4. S. Antonin. 2. part. tit. 1. cap. 8. quæst. 5. & part. 3. tit. 8. cap. 4. §. 4. Rebell. dict. lib. 9. quæst. 7. num. 7. & Cardin. de Lugo dict. disput. 26. num. 204.

Secundo modo, sit contractus Mohatra, vel Stocco, si in eo cessat pactum, sed tantum adest intentio, & spes in Mercatore vendente mercem credito carius, eam reemendi vilius numerata pecunia ab eodem indigente; & in hoc casu, ferè omnes Doctores ajebant, licitam esse Mohatram (circumscripcta prohibitione legis) quia cum nullum onus imponatur indigenti, & possit accedere ad quem malit emptorem, non debet esse deterioris conditionis idem mercator, qui summo pretio (justo tamen) mercem vendiderat, illam reemendo infimo pretio, adhuc tamen justo. Bonacin. Dian. Cardin. de Lugo & alii supra allegati, & præcipuè Salas de Empt. d. dub. 37.

Tertio modo fiebat Mohatra per interpositam personam; tunc videlicet, quando vendita merce per mercatorem credito indigenti pretio summo, mittebat amicum, proxenetam, vel tertiam personam, quæ eandem mercem nomine suo emeret pretio infimo, numerata pecunia; & in hoc casu ferè omnes Theologi dicebant contractum licitum esse, attenta justitia pretii, intra cujus latitudinem summum, & infimum continetur, ut plenè scribit Lessius lib. 2. cap. 21. dub. 16. num. 130. & Salas de Usuris dub. 16. num. 4.

Quarto modo prædictus contractus Mohatra, & Stocco fieri potest libero, & sincero animo, quatenus scilicet Mercator vendit credito mercem suam indigenti pretio summo, sed justo; non

non intendens obligare recipientem ad revendendam sibi viliori pretio, sed illum relinquens in sua libertate, sed cum non reperiat emptores, vel tempus non habeat eos adire, vel quætere, eandem mercem infimo pretio vendit eidem mercatori numerata pecunia; & hunc casum licitum esse plurimi scripserunt ex Autoribus antiquis, & modernis; quos allegat, & sequitur Salas de Empt. dict. dub. 37. & de Usura dict. dub. 16. num. 2. Diana dict. part. 1. tract. 8. resol. 20. & 33. quæ in Coordinat. sunt tom. 6. tract. 3. resol. 62. & Cardin. de Lugo dict. disput. 26. num. 205. & novissimè Cardenas in Crisi Dissertat. 24. num. 5. & F. Cassianus à S. Elia infra citandus.

Cæterum hisce temporibus superflua est distinctio supradictorum casuum, & modorum faciendi contractum Mohatra seu Stocco; attenta reprobatione ejusdem facta die 2. Mensis Martii 1679. per Sanctissimum D. N. INNOCENTUM PAPAM XI. qui in Sacra Generali Congregatione contra hæreticam pravitatem, inter cæteras propositiones scandalosas, falsas, & temerarias, hanc num. 40. damnavit, videlicet: Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis præviæ inito cum intentione lucri. In qua quidem damnata propositione damnati pariter sunt omnes supradicti quatuor modi contrahendi Mohatram, seu faciendi Stocco; Primus enim modus expressè continetur in illis verbis: respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis præviæ inito. Secundus modus exprimitur in aliis verbis: Cum intentione lucri. Tertius, & Quartus modus comprehenduntur in illa Dictione Etiam; ibi: Contractus Mohatra licitus est, etiam &c. nam illa dicitio Etiam est particula ampliativa, & implicativa, quæ prohibitionem ampliat ad casus non expressos in ipsa prohibitione, & comprehendit quemcumque modum, quo posset contraveniri. Loter. de Re benef. lib. 1. quæst. 40. num. 228. Fagnan. in cap. Cum contingat. num. 40. de foro competent. & docet Barbosa in dict. Usureg. dict. 112. num. 1. ubi advertit ly Etiam exprimere casum magis dubitabilem; & implicare minus dubitabilem, & cumulat infinitos Doctores, Et ideo quocumque modo fiat Mohatra, seu Stocco censeri debet prohibitus, ut post decretum condemnationis supradictæ scripsit P. Cafalicchius in Tura Conscientia lib. 2. cap. 3. num. 4. F. Cassianus à S. Elia in Theolog. Moral. Expurg. dict. Verb. Contractus 1. cap. 1. & 2. Qui tamen cautè est legendus num. 11. prout etiam Cardenas in dict. Dissertat. 24. num. 5. dum concedit etiam post supradictam Pontificiam condemnationem licitum esse Contractum Mohatram, si fiat absque pacto implicito, vel explicito de retrovendendo, ut volebat Diana dict. part. 1. tract. 8. resol. 58. Quæ in Coordinato est tom. 6. tract. 3. resol. 64. nam dictus contractus semper erit scandalosus, in detrimentum ipsius indigentis pecunia, & cum usura palliata; quam propterea gravissimi Jurisconsulti omni tempore reprehenderunt, inter quos Covar. Var. resol. lib. 2. cap. 3. num. 6. in fine; ubi eum appellat Latrocinii genus maxime execrandum, & justis penis vindicandum. Jo. Bapt. Lupus de Usur. comment. 3. §. 5. num. 124. Diaz in pract. Crimin. cap. 91. Vers. illud notandum, & alii, quos allegat, & sequitur Leotardus de Usur. dict. quæst. 24. num. 25. & hinc est, quod plurimi Principes zelo justitiæ ducti

Doct. Clericali Tom. II. Lib. IX.

eundem Mohatram contractum olim sub gravissimis pœnis prohibuerint, ut de Regno Neapolis testatur Leotard, ibid. de Regnis Hispaniar. ac Lusitaniz scribit Molina disput. 310. num. 3. & 4. & Salas de Empt. & Vend. dict. dub. 37. num. 5. de Urbe Roma, ac de Statu Magni Ducis Hetruriz refert Jo. Bapt. Lupus ubi proxime num 125. & de Serenissimo ac Pissimo Principe Nostro Venetiarum scribit Laur. Prior in dict. Praxi Crimin. Veneta tit. de Usura pag. 188. Quapropter cum Innocentianum Decretum damnaverit scandalosas illas, & in praxi perniciosas propositiones, & unamquamque ipsarum, sicut jacent; & prohibuerit sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ de eis tractare, nisi forsitan impugnando, tutum, laudabile esse non potest, dictum contractum Mohatram limitare, vel in aliquo casu licitum esse docere; ut facit prædictus F. Cassianus à S. Elia, cujus propterea liber meritò à Sacr. Congregatione Indicis nunc est suspensus, & prohibitus; & quidem meritò; sic enim qui scribit, potius defendit, quàm impugnat; minus suffragante declarationis prætextu; siquidem illius est legem interpretari, cujus condere. l. ultim. C. de Legib. cap. 1. & 2. de Confirm. util. vel inutil.

D E C I S I O LXIII.

A R G U M E N T U M.

Ut ludus, qui vocatur Lotto, sit licitus, quæ, & quot condiciones, ac cautelæ sint necessariæ? docet præsens Decisio.

S U M M A R I U M.

1. Lotto contractus dictus quid, & quod duplex sit?
2. Quomodo sit licitus il Lotto?
3. Auctoritate publica sunt Lotti exponendi.
4. Fraudes in Lotto abesse debent.
5. Lotto contractus perniciosus magis, quàm utilis Republicæ.
6. Lotto contractus non est à Principibus permittendus.

Confessarius interpellatur à Penitente, an liceat exponere mobilia pretiosa contractui, qui vocatur Lotto? Queritur, quid respondeat Confessarius?

Omnes dixere: Respondendum inprimis esse à Confessario, quod contractus iste appellatus Lotto, seu Lotberia, vel Ludus olla, (eò quia Symbolæ, vulgò bollettini extrahantur ex olla. Martin. Delr. Disquis. Magic. lib. 4. cap. 4. quæst. 2. in princip.) dupliciter fieri possit. Uno modo, quando aliquid pretiosum venale proponitur, ita tamen, ut certus numerus personarum pro rata offerat pretium ea conditione, ut sortiendi, cujus esse debeat res illa? cui fors contigerit, eadem res pretiosa detur: & ista Lotberia, seu Lottus, licitus est, quando ultra justum pretium rei exhibitæ, & necessarias expensas ministrorum, nihil exigatur, & absint fraudes in extrahenda sorte, cujus sit? Ratio est; quia in hac Lotberia concurrunt duo contractus, Unus Emptionis, & Venditionis, quo dominus rei pretiosæ illam vendit justo pretio emptoribus illis spontè conferentibus pecuniam pro ea re sortiendi. Alter sortis divisiæ, quo iidem emptores inter se paciscuntur, ut ex pecuniis multorum integrum pretium rei formetur, deinceps sortiantur, cujus esse debeat? parati omnes, & singuli arbitrio fortunæ stare; & velle,